





1759.

1. Becker, Hermann: An pauci fustigacionis cum religione personae injuncta, reprobanda n*t*.?
2. Beckerus, Hermann: De natura et indele coram obligacione, in genere tam, quam in specie ex libetis praecipue gressu expensas.
3. Beckerus, Hermann: De iure reparacionis in concuru orationum et praecipue puerorum: utrum orantes hereditarii son paterni in Regia in Regalitate ammissionem secundam taxam subire liceantur?
4. Beckerus, Hermann: Ab liberi alienatione bonorum maternorum, aperte factam, revercare possint, si heredes peccati?
5. Manteuffel, Th. Fried: De prouidentia publica circa sylvas et arbores omnis generis maxime de jure Mecklenburgico.

1759

6. Mantzel, En. Th. Fried: Utrum unius testis faciat  
testimonia locum? <sup>2</sup>

7. Mantzel, En. Th. Fried: Necessaria ad ultimum  
argue executionis criminalis actione praesentia?

1760

1. Beckerus, Hornemann: De tercia specie processus,  
nisi hi post, sed denunciorum, ejusque indole  
et differentia, a processu tam civili, quam  
criminali.

2. Becker, Hornemann: De jure minorum, circa retrac-  
tum spudalem a tutori neglectum.

3. Mantzel, En. Th. Fried: De aequali, utriusque  
parentis jure, qua consensum in sponsalia  
liberosum.

4. Mantzel, En. Th. Fried: Actus gastricus pro  
aungens, modo concurredit creditorum, multenter? <sup>2</sup>

1760

5. Mantzel, Em. To. Fried: Anatocismus, an et quatenus  
sit portularius?

6. Mantzel, Em. To. Fried: De instrumento originali  
laco canthoris, maxime de jure Mecklenburgico  
deponendo.

7. Mantzel, Em. To. Fried: De juri bus, agnato, durante  
jure usurpatario, virginum nobilium Mecklenburgi-  
carum, circa fundum competente, secundem § 27.  
versaliam d. 9. 1631.

1764.

1. Auctoripius, Iacobus Christus: De homicidio permisso et  
speciebus de modorium in caput ac tutelae.

1765.

1. Auctoripius, Iacobus Christianus: De iuris prudentiae eccl.  
historica cante tractanda. Programma, quo praelectiones  
activas indicit.

2. Auctoripius, Iacobus Christianus: De modorium in capite  
tutelae probatione.

1765

3. Taddei, Henricus Fridericus : De jurisdictione patri-  
moniali praeceptione secundum iuris Mecklenburgicam.

4. Audibropius, Joannes Christianus : Principia iuris pr  
Wiese, Waller Vincent : An et quatenus justum consultum  
que sit, tempori inservire . . . . ad rectis iuris  
mutationibus ex lapsu temporis in statu propriis  
publico fere Romani Imperii ortis . . . . Program-  
ma, quo praelectiones aerivas indicit.

1766.

1.2. Anis hsp, Joannes Christianus : Principia iuris prudentialia  
ecclesiasticae Germaniae fundamentalia. Program-  
ma, quo praelectiones indicit. Spec. 1.12.

3. Audibropius, Joannes Christianus : An et quatenus  
successores locatoris tam universales, quam singu-  
lares, en locacione ab ipso celebrata tenean-  
tur ?

1767.

1. Ruyterp, Ioseph Christianus: *Principia iurisprudentiae ecclesiasticae Germanicae fundamatalia. Spec. IV.*  
Programma, quæ prolectio nes in dicit

1770


1. Roemberg, Jacobus Rivierius: *Defensura quæd ubi  
videatur. Programma, item Christianis dica-  
tum.*

1773.

1. Stein, Christianus Wulhard: *De fidei origine.  
Programma, quæ prolectio nes intrat.*











DIESER

ANTONI

HERMANN

WILHELM

CHRISTIAN

JOACHIM

VIRGIL

DOMINO HERMANNO

WILHELMO

CHRISTIANO

JOACHIMO



9

7424

3  
20  
**PRINCIPIA**  
**IVRIS PRUDENTIAE ECCLESIASTICAE**  
**GERMANICA FUNDAMENTALIA,**  
**SPECIMEN SECUNDVM.**

1766, 1.


P. 348/  
**QVO PRAEMISSO**  
**PRAELECTIONES**  
**PER INSTANS SEMESTRE**  
**AESTIVVM**  
**IN ACADEMIA ROSTOCHIensi**  
**INSTITVENDAS,**  
**INDICIT**  
**IOANNES CHRISTIANVS**  
**QVISTORPIVS**  
**IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR.**



**ROSTOCHII,**  
**LITTERIS ADLERIANIS.**







## SECTIO IV.

### DE CONCEPTV ECCLESIAE IVXTA SYSTEMA PONTIFICIORVM.

#### §. I.

**I**n statu collegii aequalis, imperio summo subordinati, subsistebant ecclesiae primitiuae sub imperatoribus ethniciis. Sed a pristino statu sensim, *a seculo saltē tertio*, degenerarunt, ex affectata potestate imperiali episcoporum. Imperandi pruritas, auaritia et ambitio aliisque affectus docentium, religione christiana quam maxime nocuerunt. Inde enim factum est, ut tyrannidem sine exemplo doctores exercent in auditores, ad quam stabiliendam et magis magisque augendam, scientiarum tenebrae occasionem iit̄is dabant exoptatissimam. Persuasum fuit auditoribus, doctrinam Christi, non ab omnibus capi

A 2



capi posse; sed docentium illustratione potius indigere. Inde concludebant: Salutem omnium christianorum et perpetuam et temporariam pendere a clericis ecclesiam repraesentantibus, et in casu dissensus doctorum, a vororum inter hos pluralitate. Accedebat indulgentia Constantini Imperatoris, imperium episcoporum ad summum fastigium euhens. Sua enim distinctione inter episcopum intra, et extra ecclesiam, primum fundamentum iecit potestatis episcopalibus sub specie spiritualitatis omnia iura summarum potestatum pedentium inuadentis, hasque in eum redigentis statum, ut ex capitibus reipublicae mera brachia facta sint, et pieras tantum orthodoxoiloquentia de Deo et obedientia erga Clerum, absolui crederebatur vid. THOMASIVS in *Cautelis circa praecogn. Iurispr. Eccles. Cap. 12. §. 2.* Illis, qui temporibus Seculi a VII. et VIII. ad XIV. usque de vera interpretatione doctrinae dubitabant, imminebat excommunicationis fulmen, cui reges etiam principesque subjecti erant. Reges, cum relati ad ecclesiam sine dubio ad auditores pertineant, habebantur inferiores episcopis et doctoribus, qui perfecte essent obligati ad suam episcopis operam praestandam et decreta atque canones eorum execuenda, etiam tunc, si conscientiae repugnarent ista. Reges episcopis resistentes coercerri poterant excommunicationis fulmine, et eo ipso subditii eorum a subjectionis vinculo ab episcopis liberabantur. Cum itaque per excommunicationem, ecclesia doctores regno priuare posset, inde concludebatur, hos imperio illorum subesse, ita quidem, ut clerici potius ab omni imperio seculari eximendi sint. Manebant potius clerici super omnes eminentes et spirituales, imo caput ac maritus ecclesiae et sponsa Christi; auditores autem sunt dignitatis longe istis deterioris, laici, mundani, carnales.

### S. II.

Ne vero anarchia inde oriretur, et clericorum potius potestas eo majorem caperet splendorem, principiis hierarchicis con-

congruum esse videbatur, persuadere hominibus, a Christo  
 esse vicarium quendam institutum, cui omnis potestas ecclae-  
 siastica data sit, et qui pro capite spirituali omnium christia-  
 norum habendus esset. Sedes hujus, licet is primis tempo-  
 ribus nulla excellentia praecipua gauderet et metropolitano-  
 rum tantum, vel ad summum patriarcharum jura ipse compe-  
 terent, sensim maximis honorum ornabatur titulis. Mox  
 nominabatur *sedes major, omnium ecclesiarum magistra, sedes pri-  
 ma, sedes apostolica, Petri memoria, omnium dignitatum fundamen-  
 tum, primatus, pontificatus et vicariatus Petri.* vid. Can. 4. 5. Dif.  
 17. C. 6. D. 1. C. 1. 2. 3. 6. D. 22. c. 9. C. 1. q. 7. add. Fleischer  
 in der Einleitung zum geistlichen Recht. p. 69. S. 17. Hanc po-  
 testatem, quam clerus et in specie pontifex romanus affecta-  
 bar, confirmabat atque adeo augebat Caesorum indulgentia  
 et Iurisdictio clero tributa. Initio quidem tantum in causis  
 ecclesiasticis cognitio, Iure quodam collegiali, ecclesiae com-  
 perebat. Haec autem sub imperatoribus romanorum aucta  
 est, concessa clericis *episcopali audiencia, et francorum etiam tem-  
 poribus Iurisdictione ecclesiastica.* vid. L. 8. C. de Episc. Audienc. u.  
*episcopale Iudicium ratum fit omnibus, qui se audiri a sacerdotibus ele-  
 gerint, eamque illorum iudicationis adhibendam esse reverentiam iube-  
 mus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, a quibus non licet  
 provocare. Per Iudicem quoque officia, ne sit causa episcopalis cognitio,  
 definitioni executio tribuatur.* Sed jam Seculo XII. post nativita-  
 tem Christi haec cognitio, audiencia et vicaria seu admini-  
 stratoria Iurisdictio abiit in propriam, porrissimum ex socor-  
 dia imperantium, Iura sua suprema vel negligentium, vel di-  
 mittere coactorum. Multis vtebantur fraudibus ad insignem  
 imperatorum fauorem sibi ipsis conciliandum, quas recenseret  
 FLEISCHER c. 1. S. 72. Sic imperator Phocas, prudentum con-  
 filio plane destitutus, maxima praecipuaque Iura pontifici tri-  
 buebat, quae haec tenus ab episcopo constantinopolitano in  
 dubium vocata erant. Obtinebat enim ab hoc imperatore  
 papa primatum, manentibus tamen perpetuis disputationibus



inter romanos et constantinopolitanos episcopos. Inter media, potestatem obrentam augendi et stabiliendi, studia pontificum Gregorii VII., Innocentii III., et Bonifacii VIII. eminuerunt. vid. MOSHEIM in Inst. Histor. Eccles. p. 325. 368. 394. 456. Gregorius ille, siue Hildebrandus alias dictus, multis fraudibus electionem et confirmationem episcoporum ad se rapiebat; et imperator Henricus V. indubitate juribus renuntiare cogebatur. Inde lura circa sacra, quae imperatores antea habuerunt potiora, amitebantur, cum inuestituram per annulum et baculum per pontificum tyrannidem dimittere cogerentur. Alii pontifices illa, quae ex mera imperatorum gratia impetraverant, in abusum trahebant. Sic pallium sibi jure proprio et non fiduciario competere asserebant et archiepiscopis aliisque episcopis exemptis in signum vicariatus sedis romanae donabant. *Urbanus* papa a Iuramento fidelitatis, imperatoribus praefondo, episcopos liberabat, et Bonifacius VIII. non contentus erat, quod querelas subditorum aduersus imperatores principesque audiret, judicemque eorum se gereret et subditos a iuramento fidelitatis dispensaret, quod valide suis imperantibus praefiterant; sed etiam ea procedebat audacia, ut in anno Iubilaei 1380. mox in vestitu Caesaram, mox pontificum habitu spectaretur et semper ipsi duo gladii praferrentur ad indigitandam potestatem spiritualem et secularem. Paulus II. potestatem caesaream affectabat, dum inter missarum solennia comitem Esthensem ducem crebat, Innocentius II. jam cogitabat de imperio ciuili et republica ecclesiae plane subjiciendo. vid. ejus *Constitutio in c. 34. X. de Elec. c. 13. X. de Iudic. c. vn. S. 5. X. de Sacr. Vnct. c. 1. Extrav. Ioannis XXII. ne sede vac.* Opera, quam Imperatores Henricus IV, Frides-  
ricus I. et II. ad debilitandam nimiam potestatem papalem na-  
uabat, destituebatur effectu. Pontifices appellations ad suum  
tribunal ratas esse volebant, in singulis imperii prouinciis per  
suos delegatos caufarum cognitionem instituebant, easque auo-  
cabant. Seculo XIII. inuitu Caesare a Gregorio IX. publi-  
catae



7

catae sunt *Constitutiones papales*, sive *Decretales*. Quo factum est, ut imperator, cum jus leges ferendi pontifici amplius negare non potuerit, tacite concederet, ecclesiam separatum a republica statum formare.

### §. III.

Circumstantiae in Spho praecedenti adductae, membrorum ecclesiae aequalitatem plane tollebant et conducebant ad notionem ecclesiae formandam, naturae cuiuslibet societatis et in primis ecclesiae genuino concepui plane repugnantem. In sensu itaque pontificiorum, ecclesia est; *Societas inaequalis ex ordine imperantium clericorum et parentium laicorum constans a rebus publicis plane independens.* v. I. H. BOEHMER in *Inst. Iur. Can. Lib. I. Tit. I. §. 15.* Forma vero regiminis papalis fundata est in principiis sequentibus a) una est ecclesia externa et visibilis, b) huic competit potestas eaque independens c) sub hac potestate regnant varii minores magistratus. d) Omnes laici potestati et imperio ecclesiastico subjecti sunt. vid. PERTSCH in *Elementis Iuris Canonici Lib. I. Tit. I. §. 2.*

### §. IV.

Primo ex axiomate apparer: ecclesiam aequem unum constitutere corpus, ac in regimine civili plures prouinciae unum efficiunt regnum vel principatum, adeoque particulares ecclesiae, esse faltem unius ejusdemque corporis membra. Qua propter, si respublica secularis ad Christum accedit, ita ea reipublicae ecclesiasticae iungi dicitur, ut jam ex utraque una respublica ecclesiastica componi asseratur. Manet itaque tantum una ecclesia carholica dependens tantum ab uno episcopo oecumenico, hanc vastissimam rem publicam gubernante. Neque monarchico huic regimini inde aliquid detrahitur, quod reliquis episcopis et praelatis, portio gregis tradita sit. Omnes enim episcopi et prouinciae ecclesiasticae, ab hoc supremo capite dependent.

### §. V.



## §. V.

Ex secundo principio Catholicorum confequitur : ecclesiam per imperii ciuilis prouincias quidem esse dispersam, atamen ciuilis non subjectam esse imperio, sed potius omnes res ecclesiasticas independenter gubernari. Plane igitur exenta et independens a republica ciuili, censetur respublica ecclesiastica, cum duo in mundo sint gladii, spiritualis neme, et temporalis. Sic in *Concil. Parisi. de a. 829.* dicitur : *principaliter totius Sanctae Dei ecclesiae corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet, et regalem, sicut a sanctis patribus traditum acceptimus, diuisum esse nouimus.* Pontifex in hac respublica summus et major regibus est, omnes judicat, ipse autem a nomine judicatur per c. 13. C. 9. q. 3. Rector ille ecclesiae de fide judicat, formulas fidei condit et ad publica ciuilia et mere forensia attendit, si illis peccatum subesse videtur. Quam obcautam pontifex de negotiis ecclesiasticis *primario*; de ciuibus vero *secundario* disponit.

<sup>†</sup> *Principia de exemptione a nexus subjectionis ecclesiae ab imperio, primum stabilitate sunt in Concordato ab Henrico V. Imperatore et papa Calixto II. a. 1122. celebrato. Postea multa dubia determinata, maximaque Iura pontifici sunt tributa per Concordata Nationis germanicae inter Imperatorem Fridericum III. et Pontificem Nicolaum V. a. 1448. inita. De hisce autem Concordatis in sequenti Sectione VII., pluribus milii agendum erit. vid. interim THOMAS. in histor. de contentione inter Imp. et Sacerd. DE MARCA de Concord. Sacerd. et Imp.*

## §. VI.

Quoniam autem viius hominis haud est, curare ecclesiam per totum terrarum orbem diffusam, haec jam antiquitus distributa est in patriarchatus, archiepiscopatus, banna archidiaconalia et parochias. Omnes quidem horum praepositi in sua dioecesi vel prouincia principem ecclesiasticum agunt, manent tamen pontifici semper subordinati. Inde concipitur illud duplex

plex Systema, alterum *papale*, alterum *episcopale*. Illud per proprias pontificum constitutiones efformatum, quo plenitudo potestatis penes solum pontificem, reliqui vero episcopi ab eo tantum vocati esse censentur in partem sollicitudinis, qualem his iste relinquere voluit. Per hoc autem omnis ecclesiastica potestas penes ecclesiam in concilis congregatam et singulis episcopis portio gregis adscripta esse existimatur, salvo tamen pontificis honoris primatu, saluisque praerogatiis, obseruantia pactisque definitis. *vid. celeberr. G. L. BOEHMER in Princip. Iur. Canon. Part. gen. §. 31.* Summam itaque tenet potestatem Christi sic dictus vicarius in hac terra, pontifex inquam romanus. Reliquorum autem episcoporum jura dependent a pontificis delegatione, qui potestatem episcoporum modificandi et quaedam ipsorum priuilegia ad sua reservata trahendi facultate pollet. Semper hinc quoque ab episcoporum decisis, datur recursus ad curiam sue rotam romanam, nisi in aliquo regno aut prouincia contrarium obseruantia aut legibus sancitum. Sic de episcopis ecclesiae gallicanae adducta non valent, quippe quae pontificum decisa conciliorum examini semper subjicienda esse volunt.

### §. VII.

Ex quarto principio pontifici colligunt: omnes laicos etiam reges principesque clericis se submittere debere atque subditorum ouiumque loco esse. *vid. c. 9. 10. in fin. Dif. 16.* Magistratus secularis, vi imperii ciuilis, non gaudet facultate leges ecclesiasticas ferendi aut prouincias ecclesiasticas mutandi et quae sunt alia, cum nulla plebis in hac republica ecclesiastica ratio habeatur. Tantum itaque abest, ut reges principesque statum ecclesiasticum possint mutare, rebus et personis ecclesiasticis imperare, aut episcopali potestati limites ponere, vt potius pontificis episcoporumque iuslum sequi atque canum praceptorumque ecclesiae vindices se praestare teneantur. *vid. DE MARCA c. 1. Lib. 2. §. 1.* Ita cohaeret structura

B reipub.



reipublicae ecclesiasticae ex mente pontificiorum et ad tantum fastigium uecta sacerdotum et in primis pontificis potestas extremae ignorantiae tenebris in acquirendis imperii viribus abusa. Pugnat vero ejusmodi ecclesiae conceptus a) cum natura religionis et genuina ecclesiae notio*n*is in Se*t*. I. delineata, b) cum Scriptura Sacra, vid. Matth. XX. 25-27. Act*o*r. VI. 2. 36. Rom. XVI. et alibi. c) cum exemplo Christi, Job. VI. 15. et XVIII. 36. Luc. XII. 14. et Apostolorum Luc. XXII. 25. Petri V. 2. 3. Act*o*r. VI. 2-5. et d) cum doctrina ecclesiae primitivae, vid. AVGVS STINVS Lib. 3. ad Crescent. Cap. 51. Plura de hac materia vid. apud GERHARD, de magistratu politico, S. 175. seqq.

## SECTIO V.

DE  
GENVINO CONCEPTV ECCLESIAE CHRI-  
STIANAE SECUNDVM MENTEM PROTE-  
STANTIVM PRAEMISSA QVADAM HI-  
STORIA REFORMATIONIS.

### §. I.

**C**reuerat huc vsque tyrannis et Papae er. Cleri, vt fere impossibile esse videretur, vel vt ejus fastigio aliquid accederet, vel vt Papa et Clerus ab isto imperio in hominum conscientias itegrum deilicerentur, frustra jam per aliquot Secula conquerentes; ea de re politici ac emendationem morum Cleri efflagitantes, fraudibus subinde Clericorum elusi erant. Quem, admodum vero omnia in hoc mundo prouidentiae diuinae subsunt; ita eriam factum est, vt Seculo XVI. leuius initia per Martinum Lucherum potissimum, papatus magnam pateretur concussionem. Viri hujus immortaliter meriti studiis factum est, vt ecclesia christiana pristinam sortem atque conditionem iterum

¶ ¶ ¶

II

iterum recuperaret et secundum Christi doctrinam et apostolorum instituta, omnia rursus adornarentur. Eodem etiam tempore, quo in Saxonia Lutherus reformationis initium fecerat, in Helvetia etiam Ulricus Zwinglius ejusque Socii et affectae Ioh. Oecolampadius, Ioh. Calvinus, Theod. Beza imperio pontificis omni nisu se opposuerunt ac multas terras et prouincias ab immanni jugo papali liberarunt.

§. II.

Magnus ille religionis nostrae restaurator Lutherus reformati initium quidem anno 1517. felicissimo successu fecit, de noua tamen ecclesia condenda non cogitabat, sed doctrinae tantum et morum emendationem vrgebat et masculi agrediebatur. Cum autem imprudentissimo zelo Papae Leonis X., Lutherus ejusque socii et amici a. 1520. a communione ecclesiae excluderentur et bannum sive excommunicationis fulmen Romae in reformatores publicaretur, hoc quoque prae aliis ansam dedit, vt paullarim ipsius imperii papalis et clericis tacta et destructa sint fundamenta. Concilium generale, quod sibi Lutherus ad abusus grauiissimos in Sacris tollendos deposcebat, pontifex denegabat. Eaque propter nihil amplius sibi relictum esse putabat Lutherus, quam reformationem doctrinae morumque sub auxilio diuino et praesidio magnorum Saxonie et Brandenburgi electorum aliorumque confederatorum principum instituere. Primo Lutherus, conuocata Wittebergae omni scholastica juuentute et magna doctorum hominum caterua ipsum comitante d. X. Decembribus a. 1520, in campo vrbi vicino post aliquem exstructum rogum et a magistro quodam primicerio accensum, bullam papalem sive excommunicationis formulam et constitutiones pontificum sive Decrerales, flammis tradebat, additis hisce verbis: *quia tu impie liber conturbasti verbum Domini, ita te conturbet ignis aeternus. sicuti fecerunt mihi, sic feci eis*, inquit Samson, vid. SECKENDORF in historia Lutheranissimi Lib. I. §. 2. et MOSHEIM in hist. Eccles. p. 639.



Rationem facti sui Lutherus postridie reddidit et auditores e cathedra seuere monuit, ut a papalibus sectis sibi caueant, prout distincte haec gesta recenseret ZIEGLER in *Dissert. de origine et incrementis Iuris Canonici* §. 64.

† Lutherus quidem constituerat Ius Canonicum et pontificium plene abrogare; sed institutum hoc non ab omnibus aequo accepimus est animo, cum constitutiones pontificiae nimis altas in omnium animis radices fixissent. Praecipue autem offendit eo esse Iureconsultos et inter eos quam maxime Henningium a Goeden et Hieronymum Schurffum, constat. vid. KIPPING in *Apologetic. pro Martino Lutherio Combusti Iuris Canonici reo*. Putabant enim Iureconsulti rem suam hic agi suasque professio-nes exagitari, posse quidem Lutherum ea, quae Sacrae Scripturae aduersa sunt, eliminare, sed non posse nec debere ea, quae ad processum ciuilis pertinent, destruere; processum istum ex decretralibus addisci, eoque vniuersa haec tenus via fuisse tribunalia; ad professores Iuris spectare, de processu isto judicium ferre, non ad theologum; nascituram inde immensam confu-sionem, si causas haec tenus agitatas noua procedendi ratione per-agere oporteret: in jure canonico multa esse utilia, quae ad inutilium numerum referre et cum iis abolere iniquum foret. vid. THOMAS. c. I. Cap. XXII §. 2. Videbant porro omnem, quam in studio Iuris Canonici collocauerant, operam frustran-eam futuram ipsamque adeo eruditiois gloriam, quam vnicę ex utroque reportauerant jure, jam peritaram esse.

### §. III.

Primum reformati initium in Saxonia factum esse con-  
stat. vid. §. 1. Promulgabatur quoque in Saxonia a. 1528. Or-  
dinatio Visitationis a Lutherio et Melanchtonie conscripta, sub auspiciis  
Ioannis Electoris vid. SECKENDORFF c. I. Lib. 2. §. 36. n. 8. p.  
103. Ordinata visitatio per principia papalia, quae omnium  
ad huc mentibus infixa haerebant, nec magni momenti esse  
multumque proficeret; nec aliquid certi per illam in ecclesia  
deter-

determinari, aut nouum Ius ecclesiasticum, abrogato jure pontificio, introduci poterat. Principibus illa actate persuasum erat, quod in causis sacris et ecclesiasticis generatim nihil ipsis disponere liceret, iidemque hinc ad theologos fere vnicē circa has causas primitus respiciebat. Hac inueterata opinione adeo imbutus erat elector Saxonie Fridericus, vt plane negareret, sibi vñquam in mentem venisse, sua auctoritate Lutheri doctrinae patrocinari, neque sibi potestatem de ea judicandi sumere, licet a multis doctis viris pia et Christiana praedicarentur, se permittere saltē, vt Lutherus periculo suo eam defendereret, quo ipso factum est, vt solis theologis haec cura fuerit relicta. Apparuit hoc euidentius, dum a. 1522. *Regimentum imperiale dictum*, omnibus episcopis injunxit, vt infinituerent visitationes ecclesiasticas per illa loca, in quibus jam Lutheri doctrina altas egerat radices. Illico annuit Elector et visitationem episcoporum permisit, quamuis a Lutheri doctrina quam maxime alieni essent, vid, BOEHMER in *Iure Ecclesiast.* Proef. Lib. I. Tit. 31. §. 39.

† Statui nihil certi initio reformationis poterat. In eo quidem multorum erat consensus, quod ecclesiae ea restituenda sint Iura, quae sibi episcopi vindicauerant, quodque principibus secularibus Ius quoddam circa sacra, vel respectu ecclesiae concedendum sit. Vtrumque autem diuersissimo explicari poterat modo et ambiguitate multa laborabat. Ad primam thesin, quae Iura ecclesiae illi restituere jubet, quod attineret, reformatores ante omnia extra omne dubium ponere debuissent atque satis determinare, vtrum sub voce: ecclesiae vniuersus coetus; an vero repraesentativa intelligenda sit et quenam praeterea Iurium illorum titulo ipsis veniant ab episcopis ecclesiae ablatorum et huic restituendorum Ius, quod principi circa ecclesiam tribuere volebant, denotare poterat, vel vnicē Ius maiestaticum sive supremam inspectionem et Ius aduocatiae; vel etiam Iura ecclesiae collegialia ab imperatoribus aliisque principibus olim ecclesiae consensu administrata, vid, OTTO de



*Iure imperatoris et statuum imperii circa sacra, HENNIGES de supra  
imperatoris potestate circa sacra. Vtrumque Lutheri  
principium Seculo XVII, temper reperitum, sed non determina-  
tum est. Inde oritur illa nimia diversitas loris ecclesiastici  
Euangelicorum. In una prouincia vel regno principi compe-  
tent majora; in alia autem minora circa ecclesiam. Quo ap-  
paret, votis euangelicorum, ut nouum Ius ecclesiasticum abro-  
gato Iure pontificio introducatur, euentum non respondisse.  
vid. MOSHEIM im allgemeinen Kirchen-Recht der Protestantten.  
pag. 547.*

#### §. IV.

Visitatione in Saxonia inchoata, omnia in imperio ro-  
mano-germanico ad totalem reformationem magis magisque  
inclinabant, quamvis non sine grauissimis motibus. Mox cau-  
sa reformationis ad imperii comitia delata et variae de redu-  
cenda pace deliberationes instituta sunt, quod docet *Regimen-  
tum Imperiale de a. 1522.* visitationes ecclesiasticas episcopis in-  
jungens et *Recessus Imperii Norimbergensem de a. 1524.* §. 28. 29. it.  
*R. I. de a. 1525. §. 1.* Sed omnes de reducenda pace et con-  
cordia deliberationes effectu destituebantur et euanecebant.  
Exhibebant potius imperii status reformationi fauentes Impe-  
ratori Carolo V. in Comitiis augustanis a. 1530. *Confessionem  
suum, sive complexum doctrinarum fidei secundum sacram scripturam  
tamquam unicam credendi normam emendatarum.* Ab hac confes-  
sione augustana, omnes imperii status eorumque subditi, ap-  
pellantur *euangelici*, sive *augustanae confessioni addicti*, et sub hoc  
nomine tam confessionem augustanam subscriptentes, quam  
illi postea assentientes veniunt.

<sup>†</sup> *Nomen augustanae confessioni additorum*, quod cum Lutheranis  
sibi commune Reformati cupiunt, introductum est partim per  
*Recessum imperii Norimbergensem de a. 1543*, passim per trans-  
actionem *Passauensem*. Nominantur porro augustanae con-  
fessioni addicti in *Instrumento pacis Osnabrugensis art. VII.* et  
*Recessu imperiali augustano de a. 1566, §. 6.* et in aliis impe-  
rii

rū nostri legibus. Euangelicorum et ecclesiae evangelicae appellatio ad ipsas ecclesiae doctrinas adcommodata est. Quatenus in duas partes abit, distinguitur ecclesiae *lutheranae* et *reformatae* appellatione. Nec *Lutheranae nomen* respuit ecclesia nostra, ne erga illum, qui nebulas euangelium obscurantes princeps dissipauit et nihil sibi, nihil Sanctis Coelitibus, sed soli Christo fidere suos docuit, videatur ingrata. vid. *Celeb. MOSHEIM in hist. Eccles. Sect. 3. P. 2. §. 1.*

†† Dicuntur Euangelici sive augustanae confessioni additi crebro satis et ut plurimum *Protestantes*. Nomen descendit a protestatione imperii aduersus *decretem Spirensen de a. 1529.* interposita. *Comitia Spirensia* celebrabantur praeside Ferdinandῳ Rege, in absentia fratris imperatoris Caroli V. *Hic jubebat risus de natura religionis ortas sine mora tollere et concilii conuocationem denegebat.* Cum autem status a Lutheri partibus flantes se praegrauatos animaduertenter per R. I. Spirensen de a. 1529. protestatione tempestive interposita huic se opposuerunt, hoc que porosissimum grauaminis loco allegarunt, quod decretum spirensense per maiorem suffragantium partem consecutum esset, cum tamen pluralitas votorum locum non habeat in causis religionis; quippe quae in imperio non per modum Iudicij, sed amicabilis compositionis componendae essent. Inde Concilium liberum oecumenicum desiderabant euangelici protestantes, ut interea temporis vnicuique liberum sit, quemadmodum rem religionis administrare velit, modo videat, ut Deo et imperatori factorum rationes repetenti, se purgare possit.. vid. BOEHMER in *Iure Eccles. Protest. L. I. Tit. I. §. 44.* add. MOSHEIM l. c. p. 765.

†† Notari hodie meretur imperii nostri stilus, juxta quem non vtendum verbis *päblich*, sed simpliciter *Catholisch*; et catholici debent Lutheranos et reformatos appellare *Augsburgische Confessions-Verwandte*, sive *euangelicos*, vid. Perill, L. B. de CRAMER in *Syst. Proces. Imp. P. I. §. 827.*

§. V.

Post exhibitam confessionem augustanam, imperator non tam judicem, quod quidem, secundum vniuersalia principia, facere potuisset, se gerebat, quam potius liberum religio-  
nis exercitium euangelicis plane negabat. Status imperii augu-  
stanae confessioni addicti optimo iure postulare poterant ab  
Imperatore sufficientem cognitionem, an ecclesia reformata  
moraliter sit legitima et imperii finibus conueniens. *vid. Sez.  
III. §. 5.* Cuin autem imperator eam negaret, status imperii  
auxilio ciuili orbati, nihil sibi amplius reliquum esse arbitra-  
bantur, quam in eo rerum statu ad ultima et quidem ad arma  
confugere. Notum sane est ex historia reformationis a *Dou-  
lfissimo Seckendorfio* pluribus explicata, bellum Smalcaldicum  
patriam nostram, modo funestissimo deuastasse. Tandem ex  
prudentia diuina factum est, ut Euangelicis liberum religio-  
nis exercitium datum sit pace *Norimbergenſi* de a. 1532, deinde  
*transactione Passauienſi* a. 1552, maxime autem pace religiosa, anno  
1555, celebrata. Per hanc pacem euangelicis liberum reli-  
gionis exercitium tributum, est jura imperantium determina-  
ta, et bona ecclesiastica definita sunt.

+ Carolus V. Passauiae protestantibus tranquilitatem quidem pro-  
mittebat ei celebranda intra sex menses comitia pollicebatur,  
in quibus religionis dissidia funditus tollerentur. Sed haec co-  
mitia, quae in transactione passauensi imperator promiserat,  
propter turbas in Germania ortas, haberi non poterant. *Ditto*  
autem anno 1555 *Augustae Vindelicorum*, praefente Ferdinandō  
fratre, commemorabilis ille conuentus celebratus fuit, qui  
confessioni augustanae addictis, post tot caedes, calamites et  
rixas, stabilem illam et firmam, qua adhuc fruuntur, pacem  
religiosam peperit. Liberi enim et soluti ab omni pontificis  
et episcoporum jurisdictione pronuntiati, quisque legibus sine  
metu conuenienter viuere jussi sunt, quotquot augustanae con-  
fessioni nomen dederunt; facultas omnibus germanis data,  
virum religionem sequi mallent, salutis denique publicae ho-  
stis

Atis judicati sunt, qui religionis nomine bellum aut injurias  
aliis inferre auderent. vid. SCHILTER de pace religiosa edit.  
in 4. a. 1700. LEHMANNI acta publica et originalia de pace  
religiosa, Francof. 1707. fol.

## §. VI.

Per pacem religiosam, ecclesia protestantium pro moraliter et ciuiliter legitima declarabatur, (vid. §pus praec.) Principibus augustanae confessioni addictis totum Ius circa sacra, quod antea pontifex atque episcopi exercuerant, ab imperatore et imperio concedebarur. Quo concessso, Iura episcoporum olim ipsis vi ordinis, legis atque iurisdictionis dioecesanae competentia corruerant, ad illa saltem tempora usque pro suspensi habentur, in quibus dissidia circa religionem orta, composita fuerint, vid. der Augspurgische Reichs-Abschied vom Jahr 1555. §. 20. Haec suspensio iurisdictionis ecclesiasticae episcoporum contra augustanae confessionis consortes eiusque sacra, iureconsultis anfam dedit, ut statibus euangelicis Ius quoddam episcopale tribuerent; indeque factum est, ut principes euangelici adhuc hodie summi prouinciarum suarum episcopi appellentur et eorum Ius circa sacra, Ius episcopale nominetur. Praedicata haec sine dubio principes augustanae confessioni addicti eam ob causam tenent, quia episcopis iurisdictionis ecclesiastica non plane ademra, sed suspensum modo est eius exercitium usque ad compositionem religionum discordantium. Parum autem vero consentanea est eorum opinio, qui principes euangelici tantum Iure fiduciario, episcoporum Iura exercere volunt. Principes enim Germaniae euangelici ius suum jam quae situm maiestaticum circa sacra supremam inspectionem et ius aduocatiae scilicet recuperarunt, et insuper iura collegialia ecclesiae consensu tacito, exercent, quod pace religiosa confirmatum est. Iura episcopalia principum euangelicorum ex professo tractarunt I. H. BOEHMER de Iure episcopali principum Protestantium et S. R. SCHUBERT von den bischöflichen Rechten der Landes-Obrigkeit.

## C

## §. VII.



## §. VII.

Si ecclesiae nostrae Iura, pace religiosa firmata, accurate perpendimus, intelligitur, distinguenda omnino esse Iura ecclesiae *inalienabilia* a juribus ejus *alienabilibus*. Iura enim ecclesiae inalienabilia, sacra interna respicientia, ut ecclesiae propria, per hanc pacem religiosam confirmabantur; jura autem ecclesiae alienabilia, sive episcopalia, status imperii euangelici impetrabant, qui tamencum moderatione iis vtebantur et potestatem ecclesiasticam, tamquam rem a superioritate territoriali distinctam considerabant atque exercebant. Sic v.g. imperii principibus legibus haud prohibitum erat, forum clericorum priuilegium abrogare, quod tamen non factum; sesio et votum potius clericis mansit in foris priuilegiatis; exactio ordinariorum tributorum clericale corpus haud tetigit; in omnibus rebus alicujus momenti, doctores ecclesiae in consilium vocati sunt; bona ecclesiastica a parochis administrata et de promulgatione legis amortizationis, plane non cogitarent principes. Immo in omnibus omnino negotiis votum negatiuum clericis mansit et ecclesiae repreaesentatiuae notio adhuc plurimorum mentibus tenacissima inhaesit. *vid. celeberr. MOSHEIM im Kirchen-Recht der Protestant.* p. 661-664.

## §. VIII.

Sed quia ne sic quidem odia simulatesque mutuae sopia erant et pontificii vulnus haud leue per reformationem sibi inflictam sentiebant, nouae in dies ortae sunt lites. Confoederati quidem status imperii protestantes, sicut Lutherus jam initio reformationis, post pacem religiosam in *comitiis augustanis* efflagitabant a. 1566. *Concilium nationale* in defectu generalis, in quo dissidia circa religionem orta componerentur. Intercessit vero semper pontifex, quo minus concilium celebrari potuerit, sibi soli papa jus in sacris pronuntiandi tribuebat, Caesari vero jus concilium nationale habendi competere negabat. Quo quidem factum est, ut non tantum Caesar, sed etiam status Catholici a celebratione ejusmodi concilii sibi desistendum esse judicauerint, immo existimauerint illa in desuetudinem

39

tudinem abiisse, id quod ipse imperator in comitiis augustanis  
a. 1555. declarabat. Sed tandem post initium Seculi XVII.  
lites in apertas erupuerunt flamas, cum motus Bohemici im-  
peratorem ad bellum gerendum quam maxime impulissent.  
Sed bellum funestissimum per triginta annos maxima atrocitas  
gestum a. 1648. pacem peperit Westphalicam, rebus prote-  
stantium ecclesiasticis admodum salutarem atque proficuam.  
Memorabili hac pace Monasterii cum Gallis, et Osnabrügi  
cum Suecis initia, non solum omnia statuum jura territorialia, seu  
superioritatis territorialis ad summum euecta sunt fastigium;  
verum etiam protestantium juribus atque libertati conscientiae  
optime consultum fuit. *Historiam pacis Westphalicae delinearunt*  
*MOSER im teutschen Staats Recht P. I. Cap. 19. §. 2.* BEAVGENT  
*in der Historie des dreißigjährigen Krieges.* PFANNER in *historia pa-*  
*cis Westphalicae.* ADAMI *relatio historiae de pacificatione Osnabriug.*

§. IX.

Pax quidem Westphalica non omnia quae protestantes  
optauerant, peperit commoda, cum nullo modo Caesar adduci  
poruerit, ut vel Bohemos a sacris romanis abhorrentes, in in-  
tegrum restitueret, vel superiori palatinatum ad veterem  
dominum redire patetur; at multo tamen plura beneficia,  
quam aequo animo romana carthra ferre porerat, in aduersarios  
ejus contulit, resque lutheranae et reformatae ecclesiae  
egregie confirmauit. Primum *augustana pax*, quam *superiori seculo*  
*Lutherani a Carolo V. obtinuerant*, supra omnes machinationes et ini-  
dias posta est: editum deinde illud, quod *sacra bona Catholicis restituere*  
*jubebat*, post pacem illam occupata, *Jublatum*, atque ut *vtraque pars*  
*ea perpetuo sibi haberet*, quae sub exordium a. MD CXXIV. in ejus  
ditione fuissent, *decretem* est. Fremebat inter haec pontifex ro-  
manus, nec quo irritam redderet hanc pacificationem, inten-  
tatum reliqui quidquam. Aggressus scilicet est hanc pacem  
*Innocentius X. vehementi epistola sua bulla*, quae tamen omni effectu  
ita destituta est. vid. HORNBECKII *examen bullae papalis*, qua-  
pontifex *Innocentius X. abrogare nititur pacem Germaniae, Ultraj.*

a. 1652.

C 2

§. X.



## §. X.

Pace igitur Westphalica jura principum euangelicorum certa magis arque stabilita reddebantur. Iure quasi postlimii recuperabant *jus suum inalienabile circa sacra, et jurium collegialium exercitium, ecclesiae consensu tacito, imperii nostri status, quod pax Osnabruigenis confirmabat.* vid. CANZ. de vocat. ministr. DE CRAMER de jure circa sacra collegiali et majest. Incongruum quidem sane primo intuitu esse videretur, illa imperatoris atque imperii de juribus ecclesiae, cœu alienis, dispositio et translatio illa exercitii jurium collegialium in status imperii. Cum autem principes ecclesiae protestantium tamquam fundatores ecclesiae reformatae considerandi essent, ecclesia autem pro statu, qui tunc erat, facultate negotia administrandi defitueretur, prægnantissimæ prostabant rationes præsumendi consenfum ecclesiae in eo, vt qui maxima auctoritate in ecclesia pollerent, sacrae societatis jura administrarent; præprimis, cum jus retrahendi, in casuabus, ecclesiae concessum esset per *Instrum. Pac. Osnabrig. Art. V. §. 48. n. 18.* Conuenit haec præsumtio, nisi contrarii probatio exstat, cum natura cuiuslibet societatis sacrae. Quia enim princeps finem ecclesiae sua auctoritate facilius promouere poterit, quam si vniuersum coerum ideo conuenire oporteret et voluntate quoque finibus ecclesiae conformi, haud defituitur princeps, si eam pro vera habeat; sequitur, vt collegium ecclesiasticum, cui salus sua curae cordique est, principi eidem religioni addicto, haec jura collegialia facile relinquit, quod sub his limitationibus inter protestantes praxis firmat et Germaniae leges generatim; speciatim vero pax religiosa et Westphalica corroborant. Intuitu vero ecclesiistarum, quarum membrum princeps non est ob deficientem præsumptionem salutis publicae promouendae, contrarium omnino locum habet. Atque hinc explicari poterit confederatae ecclesiae qualitas in prioribus noui foederis seculis. Cum itaque præsumtio consensus ecclesiae in exercitio ejus jurium collegialium a statibus suscepto et confirmatio imperatoris atque imperii justum titulum præbeant; corruunt eorum erronea

erronea principia, qui jurium collegialium exercitium principibus euangelicis competens, vel ex Scriptura Sacra, vel ex jure naturae, vel ex auctoritate magistratus, vel ex superioritate territoriali deducunt. Pluribus haec principia Thomiana et Hobbesiana refutari possent, quod tamen ab aliis jam factum est. *vid. MOSHEIM l. c. p. 570 - 580.* Confundere illi dissentientes videntur notionem juris circa sacra majestica cum juribus collegialibus, quae tamen a se inuicem quam maxime et toto coelo differunt, prouti hoc probauit in *Sect. II.*

*§. 4. et Sect. III. §. 3.*

† Id quod in superioribus jam adnotauimus<sup>1</sup>, quod scilicet jura ecclesiae collegiali administrandi facultas non in perpetuum, sed modo ad illud tempus principibus euangelicis tradita sint, quo per Dei gratiam dissidia circa religionem orra, composita nondum fuerint et de religione christiana vel vniuersaliter, vel inter status immediatos eorumque subditos mutuo consensu alter definitum sanctumque non fuerit, hoc quoque loco repetendum erit, cum ejus speciatim mentio fiat in *Instrum. Pac. Omab. art. V. §. 25.*

### §. XI.

Competit hodie jus circa sacra et ecclesiae consensu ratiō jurium collegialium exercitium non solum principibus, sed etiam cuiilibet domino territoriali, per *I. P. O. art. V. §. 29.* *vid. COCEII de fundata in territor. potest. Tit. 2. seq.* Eodem hinc jure fruuntur omnes ac singuli status imperii, nobilitas et pagi immediati per *cit. art. V. I. P. O. §. 2. n. 28. vid. WEBER de jure circa sacra pagorum immediatorum.* Cum etiam jure germanico possessores territorii oppignorati pro dominis habeantur. *conf. GVNDLING de jure oppignor. territor. STRAVCH de oppignorat.* *Imp.* his quoque debetur jus circa sacra ad tempus usque relutionis. Hac enim facta dominium et jus circa sacra reuertitur per *I. P. O. c. l. §. 27.* Tandem etiam possessores dubii jure circa sacra gaudent per *I. P. O. art. V. §. 42. 44. 46.* At tamen omni caret dubio, patronis nullo modo hoc jus competere, sicuti nec aliis dominis Iurisdictionibus, quamuis ipsis com-

C 3

petat

petat Iurisdictio alta et bassa. Ordinat enim art. V. I. P. O. §. 44.  
*Sola criminalis Iurisdictio Centgericht solumque Ius gladii et retentionis,*  
*patronatus, filialitatis nec conjunctim, nec divisim Ius reformandi, siue*  
*Ius circa sacra tribuant.* *Ius enim patronatus a jure sacrorum et Iuris-*  
*dictione ecclesiastica quam maxime differt, et nullam circa sacra disposi-*  
*tionem inuoluit.*

### §. XII.

Interim tamen quaedam Iura circa sacra quam soeppissime  
exercent Dominorum territorialium ciuitates municipales et  
nobiles mediati. Sed haec Iura, salua suprema inspectione, ex-  
ercenda sunt et tantummodo eatenus locum habent, quatenus  
obseruantiae anni sic dicti normalis 1624. non repugnant. Si  
itaque subditi Iurisdictionem ecclesiasticam in dicto anno exer-  
cuerunt, pati quoque omnino debet dominus diuersae vel ejus-  
dem religionis, vt ea, mediante consistorio, cum juribus et praerogatiis olim adquisitis, conserueretur. Subordinata quidem  
sunt ejusmodi consistoria domino suo territoriali quoad supremam inspectionem, vltierius autem non; adeo, vt non liceat  
principi catholico pro lubitu circa consistoria disponere eorum  
que anno normali exercitam jurisdictionem restringere, multo  
minus causam consistorialem ad aliud forum trahere vel catho-  
licos consiliarios, saltem catholicum directorem huic praeponere  
nere consistorio. Immo eti subditi in ao. 1624. consistorium  
formaliter tale non habuerint, sufficit, quod in dicto anno pu-  
blicum religionis exercitum habuerint adeo, vt ubi dominus  
diuersae religionis est, consistoriorum necessitas, quam alias  
nonnulli in dubium vocarunt, negari nequeat. *vid. DE CRA-  
MER in Syst. Proc. Imp. §. 855. et in Obseruat. 774. add. MEVIVS  
P. 2. Dec. 305. LINCK de Iure episcopali p. 46.*

### §. XIII.


Iurisdictionem ecclesiasticam, quam per longum tempo-  
ris spatium usurparunt episcopi, post sacra reformati, quasi  
postlimii Iure recuperarunt principes euangelici, nulla ratio-  
ne habita sintne eorum subditi pontificii, an euangelici. De  
eo autem soepe disputatur, an et in quantum principi catholico  
competat



competat Iurisdictio ecclesiastica in ciues euangelicos. *vid. die Collection einiger Schriften von der geistlichen Gerichtsbarkeit der Katholischen Landes-Herren in Teutschland über die in ihrem Lande befindliche Protestantische Unterthanen. Lips. 1728.* Interim tamen religiosi diuersitate non obstante, dominus territorialis catholicus omnino super delictis ministrorum ecclesiae euangelicae cognoscere potest, non tamen aliter, quam formato desuper iudicio augustanae confessioni conformi, quod variis praejudiciis demonstrat *Perill. DE CRAMER l. c. §. 856.*

§. XIV.

Ex haec tenus adductis jam patere arbitror, ecclesias augustanae confessioni addictas formam rerum publicarum, quae ex imperantibus et subditis constar, plane deposituisse, et naturam collegiorum acqualium rursus adsumisse imperio legitimo imperanti, vti par erat, relicto. Ecclesia igitur protestantium est: *Societas aequalis ad colendum Deum secundum doctrinam a Christo traditam unita et ordine conueniente colligata atque imperio ciuili subordinata.* Gaudent Imperii Romano-Germanici status Euangelici jure circa sacra in illo ambitu, quem in *Sectione tertia* delineauit. Exercent porro principes augustanae confessioni addicti jura ecclesiae collegialia, siue alienabilia, *vid. §. X.* ad illa saltrem usque tempora, donc dissidia circa religionem composira fuerint, nisi probari possent exceptio vel eo, quod princeps quidem juri suo jam quacquo renuntiaverit; vel quod obseruantia anni normalis principi obstat. *vid. §. IX.* Circa ecclesiae tamen euangelicae jura collegialia adhuc notandum, principem illis scopo suo conuenienter vti debere, alias Ius retrahendi ecclesiae saluum manet, prouti constat ex §. V. Consideratis itaque haec tenus iis, quae pertinent ad historiae reformationis summaria, jam nobis in sequentibus de iis agendum erit juribus, quae ecclesiae utriusque in Germania per instrumenta pacis religiosae et Westphalicae tributa sunt. Instrumenta enim haec hodie sunt circa libertatem religionis in Imperio Germanico instar legum fundamentalium. Illis enim plane derogatur Iuri Canonico, conciliorum Decretis, ordinum




num religiosorum regulis et aliis exemptionibus. Transactiones haec debent valere ut sanctiones imperii pragmaticae, obligantes clericos et laicos sub poena fractae pacis publicae et insubsidium assuntis armis per I. P. O. art. XVII. Vtiusque religionis magistratus seueru prohibere debet, ne quisquam publice vel priuatim concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo pacem religiosam et Westphalicam uspiam impugnet, dubium faciat, aut assertiones contrarias deducere conetur. Quidquid contrarii aut publicatum, aut promulgatum est, vel circa ipsam religionem, vel quoad exercitum ejus publicum aut privatum, vel circa annexa religionis, in specie jurisdictionem ecclesiasticam, plane irritum esto per I. P. O. art. V. §. in fin. §. 8. 31. 41. art. XVII. §. 3. Manet de tribus religionibus generale principium: *quod unius iustum, alteri injustum esse nequit.* Siue utraque religio, Catholica et Evangelico-Lutherana et Reformata, aequali jure recepta et approbata est per imperium, nec praeter religiones nominatas, alia in Imperio R. I. recipienda. Ex hoc fonte in sequentibus tam lura communia, quam specialia ecclesiae Lutheranae, Reformatae et Catholicae, si Deus vitam viresque concesserit, pluribus deducam.

Postular finis scripti adhuc, ut cum honoratissimis hujus Aliae ciuibus praelectiones communicem, per instans semestre aestuum instituendas, Offero Praelectiones sequentes et electionem vobis, *Commilitones Optimi*, relinquo a) *Institutionales*, Praeunte HEINECCIO in Elementis Iuris ciuilis, b) *Pandectales*, Duce HELLFELDIO in Iurisprudentia Forens secundum ordinem Pandectarum, c) *Ecclesiasticas* ad filium Compendii KAHLIANI, d) *Criminales* secundum principia Iuris Criminalis Germaniae communis, MEISTERI, Professoris in Academia Georgio-Augusta longe celeberrimi. Neque iis deero, qui collegia Examinatoria et Disputatoria, aut manuductionem in alia legalis scientiae parte desiderauerint. Annuat conaminibus sumimus rerum moderator, istaque ita dirigat, ut cedant in sui nominis sanctissimi gloriam, reipublicae et iuris cultorum commodum. Dabam Ipsiis Calendis Aprilis

A. O. R. clo. cclxvi.







Rostock Diss.

Rostock Diss., 1759-76

ULB Halle  
006 828 523

3



St.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

PRINCIPIA  
IVRIS PRUDENTIAE ECCLESIASTICAE  
GERMANICA FUNDAMENTALIA,  
SPECIMEN SECUNDVM.

20

QVO PRAEMISSO

PRAELECTIONES

PER INSTANS SEMESTRE

AESTIVVM

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

INSTITVENDAS,

INDICIT

IOANNES CHRISTIANVS

QVISTORPIVS

IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

